

bullitionem, si phiolæ longioris colli indatur oleum Caryophyllorum & superfundatur dictus spiritus.

2. Solutio veneris, certo menstruo facta in vitro firmiter clauso, nullo singulari colore imbuta est; simul ac autem aeri concedatur liber accessus saturato cœruleo colore menstruum tingitur.

3. Putrefactio animalium, vegetabilium impeditur in vacuo, hinc poma, pyra, pruna, salva sua textura & forma, in vacuo per aliquot annos durant.

4. Effervescentia quæ fit a limat. martis & oleo vitrioli; item ab argento & aqua forti, lentissima est in vacuo, celerrima in aere libero.

5. Solutio veneris viridis cum spiritu nostro igneo facta si aeri exponitur libero brevi tempore colorem induit cœruleum.

6. Aerem ingredi in quosvis liquores spirituosos salinos patet, si campanæ vitreæ submittuntur & aer extrahitur per anthiam, tunc enim incipiunt ebullire seu bullulas emittere.

DEMONSTRATIO XXXI.

Aqua est liquor universalis solvens, multis tamen heterogeneis partibus imbutus.

Experimenta.

1. Puritas & levitas aquarum probatur per peculiarem libellam gradibus distinctam, quæ descensu suo indicat puritatem majorem vel minorem.

2. Respectiva hæc puritas & levitas cognoscitur, quando aqua colore imbuitur, tubo vitreo infunditur, qui inversus imponitur alii aquæ: si liquor descendit, est gravior; si in tubo manet, est levior ipsa aqua subjecta.

3. Adjectione olei tartari per deliqv. indagari
obti-